Memoriale secundum ad legationem Polonicam.

Rudolphi 97.

Quandoquidem in iis, quae ad commendandos pro occasio-
ne fratres nostros Ser.mos pertineant, afferre se multa ac
varia possint, quorum in priore instructione nostra nulla fuerit
mentio facta, legatos nostros fideles dilectos Reverendum, Devotum
Andream Episcopum Vratislaviensem nostrum Principem Consiliari-
um et utriusque Silesiae supremum capitaneum et Nobilem Richardum
Strein Dn. in Schwarzenau, Herkenstein et Freinstein, Vallis
in Wachau Consiliarium item nostrum latere nolumus, significatum Nobis
fuisse a charissimo fratre nostro Ser.mo Ernesto Archiduce,
quae Rex Poloniae Sigismundus secum tractari per ministrum
quendam suum jam recens missum curaverit, eademque ipsa esse
de quibus ipsemet frater noster Richardum Strenium consu-
luerit. Horum talia sint, ut minus utrinque perscribi neque opus neque
tutum sit, quaeque alter legatorum alteri exponere semper possit,
sicut eam nostram mentem esse, ut si Rex forte sive sponte ipse-
met sive per alios, de iis cum ipsis conjunctim vel cum alter-
utro ipsorum separatim egerit, sed opportunitatem illi cum i-
pso agendi nacti fuerint, exponant, accepisse nos, de quo nego-
tio S.tas ipsius cum fratre nostro charissimo Archiduce
Ernesto, per Lambertum Vraderum ministrum suum nuper
tractari curaverit, perspicere nos inde, quod etiam ante pluribus
indiciis perspexerimus, quam benevolo sincerosque S.tas ipsius affectu in
Augustam domum nostram Austriacam animo sit, quem magnopere
te quibuscunque occasionibus et grati animi significationibus parati
simus. Negotium vero illud et de quibus agitur conditiones, quas dic-
tus frater noster jam acceptavit et Ser.mo Regi per eundem mi-
nistrum suum expeditas misit, haud displicere nobis, sed cum va-
riae causae sint, quare charissimum item fratrem nostrum Ser.mum
Maximilianum post tantas tamque laboriosas res usque tandem compo-
tem fore optemusque, petere nos a S.te ipsius, ut in hunc eundem qua-
tenus fieri possit, studium ac favorem convertat suum, si quo urgendo nihil
opera praetermittent aut diligentia, ut vero si ad usque adeo abeo
aut difficile fore viderint, ut frustra optetur, postuletur, opus
nobis gratum fore testabuntur; Si quod jam diu S.tas ipsa satage-
re videtur, ex fratris nostris charissimis Serenissimum Ernestum
favore auxilioque ad Regni successionem sibi operi evehendi. Haec
nostra sincera atque ex intima mentis nostrae sententia. Nos
ad S.tem ipsius libenter scripturos fuisse, sed eadem nos cum seri-
bendo super sedendi causas habuisse, quas ipsemet apud Regem
esse habuisse Gustavus Comes testatur, id est temporis in-
opportunitatem, ut vero haec ipsa majori silentio ac secu-
ritate geri possint et administrentur, cavebunt legati nostri,

ne quisquam ea praeter se duos rescisat, in qua re dexterè
versari posse videntur, si ubi R.do Episcopo Vratisl. &c. non ea
facultas prompta detur, ut cum Rege, Regisve ministris in-
timis extra congressum publicum agere absque asseclarum
strepitu possit, agat cum iis quam secretissimè Streinio, cui
totum negotium, de quo inter Regem et Ser.mum Ernestum
fratrem nostrum agitur, probè cognitum est. De matrimo-
nio porrò inter Regem et filiam charissimi patrui nostri
felicis recordationis Serenissimi Archiducis Caroli, si fortè
ejus conciliandi causâ Rex ipse vel per suos, vel per Nuncium
Apostolicum cum legatis nostris conferet, respondebunt ipsi,
se super eo nihil in mandatis habere. Non dubitare, quin si
decenti modo nobis Rex hoc desiderium suum aperiri cura-
verit, nos qui perpetuâ benevolentiâ Regi Regnoque ipsius fami-
liae ad quamcunque rem gratificandam addicti sumus, etiam
in hoc benevolentiam nostram ac propensam voluntatē
declaraturi simus. Si verò nullam de eo mentionem fieri con-
tigerit, poterunt nihilominus ante abitum suum è Nun-
cio Apostolico de Regis matrimonio quid futurum existimet
commodum sciscitari. Comiti Gustavo Regi intimo et si quos ali-
os Regi gratos, per quos secretiora tractentur compe-
rient, singularem nostram gratiam et benignissimae
voluntatis affectum pollicebuntur, in his aut etiam aliis
negotiis arcanis rebus, siquid sese quod scribere mittendum
sit obtulerit, occultae scriptionis notas, quibus utantur lega-
tis nostris mitti mandavimus, quorum singulari pru-
dentiâ, spectataque fide nitimur, quibus et gratiam nostram
Caesaream Regiamque benignè pollicemur. Prag. 29 9bris 1590.

171

Summo Pontifici Gregorio XIV.

Gratulatio. Rudolphus &c.

Beatissime in Christo Pater &c. Magnâ sane sollicitudine,
quam jamdudum ex geminato paucorum dierum intercape-
dine Sedis Apostolicae, adeoque Ecclesia universa luctu atque
orbitate conceperamus, levati gaudio perfusi sumus incredi-
bili, cum S.tem V.ram divinis illis virtutibus ardentissi-
moque in omnem pietatem studio Apostolico atque illa sa-
pientia, quarum illustria jam ante specimina praeclarissi-
ma documenta extant, praeditam hoc tali nostro tempo-
re summo summi Dei munere in Christi Dni Dei nostri
vicarium electam ac declaratam esse cognovimus. Quamob-
rem omninò nobis nullâ interpositâ mora faciendum
duximus, ut S.ti V. pro ea ac debemus, pioque filiali et
constanti nostra in summos Pontifices observantia